Guli: Digby Lawlor de Phthisi

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONUM.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PHTHISI PULMONUM;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS DIGBY LAWLOR,

Ex Insula Sancti Christopheri,

COLLEG. REG. CHIRURG. LONDIN. SOCIUS.

——————— *ἀλλ' ἡ 'μπειρία*
Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον.
Eurip.

Careless and crude the youthful writer's page,
But just the precepts of experienced age.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS NEILL.

MDCCCXIX.

EDVARDO WEBB,

ARMIGERO,

E SENATORIBUS BRITANNICIS

UNI;

VIRTUTIBUS OMNIBUS INSIGNI;

OB MULTA BENEFICIA

IN SE COLLATA,

ET QUOQUE OB AMICITIAM

QUA, ILLUM, DIGNATUS EST,

DUM, PROCUL DOMO SOLOQUE NATALI,

QUÆ NUNQUAM SATIS RECOGNOSCERE POTERIT,

HOC TESTIMONIUM ANIMI GRATISSIMI,

QUAMVIS PEREXIGUUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

DICAT CONSECRATQUE

AUCTOR.

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

VIRG. Eclog. v. 76.

"*Neque sunt vires, neque qui color esse solebat:*
"*Vixque habes tenuem, quæ tegat ossa, cutem.*"

Ovid. Trist.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

16

DE

PHTHISI PULMONUM.

Pulmo, organum inviti, ut dicitur, sed perpetui motus, vitalitate illa, qua structura carnea fere gaudet, utpote quæ vasis et nervis uberrime scateat, egere videtur. Hinc lentior ad incolumitatem reditus ex morbo; in quem statum misere proclivis est. Totam enim substantiam sic perpetue agitatam, exque superficie immensa interna aëris injuriis objecta, stimulatam, ab universa sanguinis massa, trigesies in hora quavis perfluitur, et penetratur; immensa scilicet vehementia qua e cordis ventriculo ejicitur. A variis quo-

que causis in corpus animumve alicujus simul operantibus, copia hujus transitus et velocitas mirum in modum augetur. Præterea pulmonis fabrica ea est, quæ sæpe calculos, aut tubercula inertia, ex levi irritatione formet, ideoque fontem morborum fæcundissimum gignat.

Ex his nullus æqua vehementia, æquo terrore aut periculo urget ac Phthisis Pulmonalis; cujus in dies augescentes strages, satis superque excusationis pro nobis præstat, qui hunc morbum materiam disserendi assumpsimus.

PHTHISEOS DEFINITIO.

Phthisis Pulmonalis a Culleno præclaro verbis quæ sequuntur sic definitur: "Corporis "emaciatio et debilitas, cum tussi, febri hectica, "plerumque cum expectoratione purulenta;" atque in Primis Lineis, hecticam, cum puris expectoratione, breviter sed accurate satis definivit. Idem in duas species divisit, *incipientem* et *confirmatam;* quæ distributio, practico fortasse haud inutilis, contra omnes ordinandi morbos re-

gulas misere peccavit. Divisionem igitur quam illustrissimus Duncanus dedit, sequi melius arbitramur. Ille in Phthisin Apostematosam, Tuberculosam, et Catarrhalem distribuit; in species scilicet morbi origine, ut decet, nitentes.

MORBI HISTORIA.

Inter pubertatem annumque trigesimum quintum, Phthisis Pulmonalis præcipue dominatur: attamen subinde exempla vetulorum, nec non puerorum, hoc malo pereuntium, videas.

In omnibus regionibus orbis terrarum videre est; sed sæpius in iis quibus caloris frigorisque alternationes, scrofulam, ideoque alia pulmonis mala inducere solent. Hinc apud nostram regionem tam late grassatur, strageque tam dira eam devastat, ut attentionem medicorum sibi summam jure vindicet. Duo trientes, Sydenhamo, medico peritissimo, testante, eorum quos morbi vetusti e medio tollere solent, Phthisi Pulmonum moriuntur. Tabulæ mortuorum Londinenses multa millia singulis annis ob causam

eandem morti decumbere, nos certiores faciunt. Quincunque plura de hac re, peste potius in dies ingravescente pluresque tollente, eandem a Doctore Woolcombe curiosissime exploratam inveniet.

Inter symptomata Phthiseos prima, tussicula arida est: nonnunquam vero mucus spumans rejicitur; respiratio plusve minus impedita, sensusque stricturæ, ponderisve in aliqua parte thoracis percipitur; præcipue post motum etiam lentissimum, spiritus crebrius difficiliusque trahitur, pulsus arteriarum, initio fere naturales, brevi frequentiores evadunt. Calor naturalis augetur, perspiratio olim obscura in sudorem aut madorem levem convertitur. Appetitu cibi minuto, vomitus post pastum ægrum vexat. Sed his serius ocyus pectoris dolores, modo fixi, modo erratici, sæpe lancinantes, sæpe tamen leves, accedunt. In unum alterumve latus decubitus etiam haud raro difficilis; maciesque sensim corpus diruit; ægri irritabiles, languidi, inertes fiunt. In hoc statu diversum valde tempus manetur; nonnullis menses complures, vel etiam annos; nihil ultra querentibus, nisi quod solito facilius, aëris muta-

tionibus subitis, afficiantur, quæ catarrhum quasi levum frequentius inducunt. Itaque, postquam hi impetus catarrhales ter quaterve repetiti fuerint, tussis antea levis violentior redierit, sputum muci sæpe sanguine mistum, copiosius, viscidius, opacius evadit, dein colorem viridescentem, formam purulentam induit, et somnus misero negatur. Macer, debilisque fit; functiones corporis imminuuntur, eodemque tempore appetitus cibi fere redit, aut etiam præter naturam augetur. Cibus vero utut aride sumptus, corpus nequaquam alit; situs potu crebriore compescenda est; spiritus indies etiam dificilior; dolorque in aliqua pectoris sede, sæpe incerta; tussi, et conamine ad spiritum liberius trahendum, multum exasperatus. Pulsus multum acceleratur, atque sæpe in hoc morbi tempore, menstrua fœminarum ferri desinunt.

Tandem, tempore progrediente, supervenit hectica illa quam adeo exquisitam hic morbus semper secum affert.

" Febris," verba CULLENI sunt, " quotidie re-
" vertens, accessionibus meridianis et vespertinis,
" remissione; rarius apyrexia matutina, plerum-
" que sudoribus nocturnis, et urina sedimentum

" furfuraceo lateritium deponente." Formata hac febre, æger macrescit, propter sudorem circa caput, nocturnum, circa brachia etiam pectoraque erumpentem. Pulsus debilis citusque evadit, pedes ædemate manusque distenduntur. Hectica porro grassante, rubor quidem circumscriptus in genas perspicitur. Lingua faucesque inflammatione multa affici videntur, apthasque ulceraque ostendentes, ne æger cibum facile devorare queat impedientes. Tunica oculorum adnata colorem pulchrum margaritarum instar, induit; quod vasa debilitata sanguinem in vasa extrema non amplius propellere valent.

Inuente morbo, alvus adstricta est; sed nunc fere fluit diarrhœa, *colliquativa* dicta, usque ad extremum hærens; et hoc cum sudoribus nocturnis alternans etiam miseri vitæ minatur. Pili defluunt; ungues super extremitates, incurvati lividique fiunt: Spiritus fœtidus, celer, difficilisque; pulsus arteriarum non nisi ægre percipiandus est. Animus subinde deficit, et demum mors pallida scenam claudit.

Notatu dignum est, ut in hoc morbi statu, facies illum aspectum bene notum induit, quæ

scriptoribus Medicis "Facies Hippocratica" appellata est. Etiam inter ipsa morbi extrema mente inturbata, imo solito perspicaciore fruitur; ideoque, vel in ipsa limine mortis, in spem fausti eventus vanam sæpius erigitur. In nonnullis tamen casibus, spes salutis omnino objicitur. Flebile hujus exemplum, mellifluus iste poëta Brussius existit:

Now Spring returns, but not to me returns
The vernal joy my better years have known,
Dim in my breast life's dying taper burns,
And all the joy of life, with health are flown.

Vergente ad finem morbo, membra extrema fere frigent; atque delirium paucis ante morbum finitum haud raro supervenit.

Morbus cursum suum modo citissime, modo non nisi longissimo intervallo percurrit.

Doctor Home in præclaris ejus prælectionibus, quendam narrare solet intra vigesimum primumque diem hac Phthisi extinctum; et prorsus contrario, morbus sæpe per plurimos vexat annos antequam morte afficiat. Si nobilis illa fœmina

illustrissimo GREGORIO laudata, cui plures annos vita servata est, huc et illuc navigando.

In descriptione supra tradita, phthisim tuberculosam præsertim respeximus. Alia enim species melius sub nomine morborum quos simulant, aut pro origine habent describuntur. Hanc speciem igitur sponte quasi nascentem solam tractare consilium est.

CAUSÆ

I. *Prædisponentes.*—Is maxime de tabe periclitatur, qui parentibus ortus, struma tabeve affectis, corpore procero sit et gracili, laboris parum patienti, atque hujus aut inediæ causa subito emacrescenti; sed his sublatis aut extinctis, ad pristinum robur facile redituro. Cui longum est exileque collum, scapulæ sublimi gestæ, pectus vel carinatum pulli gallinacei more, vel planum nimis atque depressum, simul parum setosum, et cartilagine parum carnosa, sed prælonga et acuta. Spiritum etiam parum commode trahere, modica etiam anhelare ex excitatione, vocem debilem,

ingratam, ex adyto quasi aut concavo quodam exire, male ominatur. Species decora, calor non constans sed varius, venæ magnæ, cutis mollis, tenuis, quasi pellucida: interdum vero fusca, papulisque aut ephelidis aspera; oculi comæque aut candidæ, aut candorem simulantes; aut priores cærulei, posteriores flavæ vel rutilæ, simul tenues et molles, etsi nonnunquam fuligeneæ atque hirtæ. Labium superius, nasive columna tumens, denique cum mente supra ætatem cauta, adque cogitationem quietam prona, proclivitatis sine dubio signa habenda sunt. Ætas porro inter decimum quintum, et trigesimum quintum annum apud causas prædisponentes referatur. Manifestum est, ut plura ex signis supra descriptis notæ sint habitus corporis strumosi; quapropter legitime concluditur ad phthisim proclivitatem sæpe corpore strumoso, aut ad strumam vergente, omnino pendere. Hoc equidem adeo sæpe fit, ut multum dubito an unquam morbus accidat, ubi talis abest proclivitas.

II. *Causæ Excitantes.*—Hæ quatuor a CULLENO causæ recensentur, hæmoptysis, pulmonum ex pneumonia suppuratio, catarrhus, asthma, tu-

bercula. Adjecerunt alii morbos, exanthemata, præsertim variolam et scarlatinam, luem veneream, cancrum, haud sine verisimilitudine quadam; aliter omnino alii, qui pulveres nonnullos quos varii artifices, fere degeneres, ac per se morbosi homanciones inhalare solent; quod malum multo probabilius ad ingenitam debilitatem eorum referatur. Hinc quoque animi affectus deprimentes non pro causa accipiendi, nisi quoad eandem debilitatem inducunt. Quod ad hæmoptysin attinet, effectum sæpius quam causam existimare oportet. In corpore matura non ad phthisin proclivi, vix aut ne vix quidem, in phthisin terminat: at si morbus cum habitu proclivi conjungatur, raro non mortis ex phthisi prænuncius est. sæpe equidem, ut supra diximus, vasis cujusdam ulceribus rosi sanguinemque profundentis index est, suppuratio ex pneumonia apud nos sæpe ad faustum pervenit eventum: sed in regionibus quibusdam calidis, ut in mari Mediterraneo, funestissimam ad terminationem celeriter deproperat. Attamen in prædispositis, temperamento sanguineo, at corpore strumoso donatis, morbus etiam in Britannia fere semper in mortem desinit.

Catarrhus et asthma sæpe, longe quidem innoxius videtur morbus: sed in strumosis, præsertim quibus tubercula aut calculi supra dicti formati sint, periculosissima est affectio.

Tussis enim ulcera si adsint exagitat, si nondum supervenerit, agitando illas duras et alienissimas materias creat: auxilante simul inflammatione illa membranæ internæ quam catarrhus inducere solet. Simili modo est quod asthma lædere solet. Tubercula vero phthiseos causæ plenissimæ et frequentissimæ. Plerisque hodiernorum hæc nihil a tumoribus aliis strumosis qui in aliis partibus, exempli causa, in cerebro reperiuntur, discrepare apparent.

Nihilominus, valde dubium est an aliquid communis habeant, cum glandulis struma affectis, nam auctores inter quos clarissimus Matthæus Baillie, optimi, hæc tubercula nonnisi in tela cellulosa repererunt, ubi glandulæ lymphaticæ nunquam conspici solent. Progressus similis, præsentia tuberculorum in pulmonibus srumosorum perpetua, et similitudo glandium mesenterii his tuberculis corruptarum, fortasse errorem induxerunt. Tubercula, sine morbo evidente pulmones occuparunt, interdum per plurimos annos

antequam ad molem aliquam perniciosam, aut inflammationem pervenirent, atque hoc in statu respirationem nonnihil impediunt. Originem nonnulli retulerunt ad ætatem pubertatis, in qua corpus frigori aut humori expositum, facillime molestius ad pulmonum regerit. Hoc non male dicitur de plerisque phthiseos exemplis, cum in ætate pubescente ad pulmones utique sanguis dirigi liberalius solet. Sed aliis longe aliter accedit, nec raro infantes teneros forte mortuos, hæc tubercula in pulmonibus habere videntur. Memini adhuc me tyronem, puerum vix biennium natum sub magistro curasse.

Dolorem latus moleste habuere questus est puer, necnon de spiritu difficiliore, modice tamen, corpusculum paulo macilentius quam consuevit, nam robustulus ille puer antea videbatur. Post paucos dies tantum mortuus est, et pater, quippe qui fratrem pueri natu majorem similiter omnino correptum lugebat, cadaver inspici voluit. Thorace patefacto, tubercula de quibus sermo est, in pulmone utroque abunde reperta sunt, necnon abscessus satis magnus qui viam sibi eroserat e pulmone per diaphragma in hepatis partem superiorem. Nemo igitur pronuntiet, tubercula

ætati puberi cohiberi. Exanthemata, præsertim rubeola, morbi causa sæpe habentur, nam in hoc morbo sanguis magno impetu pulmones versus derigitur, ubi tubercula si adsint, aut proclivitatem ad ea gignenda, concitare solet.

A syphilide phthisis subinde excitare solet, sed multo rarius quam vulgo creditur: nam phthisis quæ ad hanc relata est causam, ab hydrargyro potius quam lue originem sumit.

III. *Proxima Causa.*—Hæc fere omni in exemplo ulcus est, aut abscessus in pulmone, tubercula supra dicta, aut calculi quovis modo agitati aut irritati, imprimis inflammationem postea apostemata inducunt. Hac subinde rumpuntur, pus quod habent aut in cavum thoracis quod raro, aut in bronchos quod longe sæpius accidit, profundentia. Æger se pus vomuisse fere credit, nam sensus vomendi, sæpe quidem vomitus ipse supervenit.

Quod postea ex ulcere relicto fertur, tussiendo ejicitur. Hæmoptoën finem nonnunquam phthisi pulmonali imponere supra diximus: res minime miranda, si immensa vasorum propago ex arteria venisque pulmoneis per pulmonum ipsum

distributa rite consideretur. Abscessus enim nullus magnitudinis notabilis in pulmone excavari potest, quin statim vas aliquod obvium sit, et erodatur, unde sanguinis crebræ profusiones, nec raro, mors subita supervenit.

Nonnunquam, ut perhibent, ulcus haud pulmones occupat, sed laryngem aut tracheam ; sed pus fertur cum dolore et hectica, et mali indoles, non donec mortuus fuerit miser, probe comprehendi potest. Talis autem affectus rarior est.

Aliis demum nulla ulcera formari videntur, sed pus et hectica ab interna tracheæ ac bronchiorum tunica concitantur. Exempla hujus quam prioris adhuc minus frequentia. Variola, rubeola, scarlatina, catarrhus, pertussis, hanc speciem creare dicuntur.

De signorum ratione febris hecticæ.—Ad hanc febrem corpus debilius, mobilius, tabe aliqua macrescens necessarium esse videretur : quo statu semel inducto, febris hectica a quavis materia in sanguinem accepta accendi potest. Sæpius tantum modo ex pure, quia hac materia sæpius omnium in corpore formatur.

Tussis et spirandi difficultas proveniunt ab irritatione tuberculorum, et impedimento quod aëris fistulis opponunt: atque tandem a tuberculorum incremento, inflammatione a pure, pituita, aut materia calcaria, in bronchos effusa.

Alvus fluit ob debilitatem maximam fibrasque intestinorum relaxatas, haud aliter in phthisi quam in aliis morbis longis quibus debilitas et hectica prope finem superveniunt. Causæ enim, quas supra diximus hecticæ, nunquam non totum genus vasculosum irritant, adeoque vasa exhalantia quæ in alvum patescunt. Hectica signorum reddere rationem optimos semper scriptores multum torsit: neque ii sumus qui tantas componere lites ullo in modo valemus. Quod alii olim dixerint, nos iterum fideliter dixisse sufficiat: principia tantum signa tetigisse consilium est.

Quotidianam febris quam conservat formam, ad periodum illam diuturnam in corpore sanissimo notatam referre solent. Similia enim exempla aliis in morbis, ut typho observata sunt.

Matutina remissio omnibus fere morbis commune, ruborem circumscriptum in genas, perinde ac color unionum æmulus in tunica oculorum

adnata, ad vasa minora jam deficiente, sanguine deserta et collapsa, neque amplius hunc liquorem accipientia, imputari solet. Atqui inter hecticæ accessum, vasa nondum globulos rubros excludentia rubent, maxime in media gena, qua abundare consuerunt. Ungues curvantur aut curvari apparent, ob pulpam, qua vacant, apicum digitorum resorptam, nec amplius ut decet ungues sustenentem.

PROGNOSIS.

Divisio CULLENI nosologica, licet prorsus inepta quod ad morbi distinctionem aut descriptionem, in prognosi et curatione utilissima est. In phthisi enim incipiente, prognosis, licet nunquam fausta, spem aliquam habet. Haud pauca utique exempla, omnibus hujus morbi terroribus instructa, medicorum curæ prorsus cessaverunt: aut in tantum devicta fuerunt, ut æger longævam licet morbosam ætatem trahere valuerit. Multo sæpius nihilominus, etiam in exemplis sanationi admodum accommodatis, phthisis incipiens vix, aut ne vix quidem, omnia conamina

medicorum frustrans, in phthisim confirmatam, celerrime deproperat. Hujus vero prognosis nunquam non deplorata; namque exempla, seu miracula potius, renascentium ab hac morbi specie, adeo pauca sunt et ambigua, et longo intervallo tantum apparentia, ut multum spatium prognosi feliciori præstare non possunt. Regularum equidem tam generalium exceptiones, legem ipsam universam, paucitate sua magis confirmant. In morbo tam lethali, præsagia nostra magis ad tempus morbi, quam casum spectant. Diarrhœa indomabilis, pedum manumve aqua intercus, macies immanis, cum sputo minuto, et aphthis ore siccatis aut sanatis, eventum nunc minime deprecandum adesse indicant. Lenta, contra, macies, hæmoptysis nulla, sermo ut sanorum, neque voce mutata miserum vitaliorem, mortemque longinquiorem indicant.

DIAGNOSIS.

Nullius morbi initia latentius quam nostri obrepunt, aut obscura distinctione funestius lædere solent. Ætas quidem qua aggredi solet, ea est

spe omni lætabunda; nec animus hilaris et jucundus juventutis facile terroribus imbuitur ab indiciis, manifeste etiam medicanti ambiguis. Hinc nullæ fere querelæ, nullæ medicorum accersiones, donec spes omnis quam mali ambiguitas gemuerit, juvenem deseruerit, et mortes immaturæ domos luctu et calamitate implent. Morbi cum quibus confundi potest hi sunt; Catarrhus, Pneumonia, Hepatitis chronica, Asthma, Chlorosis, Tabes mesenterica.

Catarrhus eo difficilius a phthisi distinguitur sæpe in phthisi, et a causa levissima, adest, atque facillime iterum abit. Hinc spem hominis perpetuo alere solet, dum re vera symptoma est, et indicium morbi insidiantis sub pectore conditi. Quin etiam extremo morbi tempore phthiseos spe vana lactare quotidie videas; nec in raris exemplis medicum ipsum fefellerunt talia signa. In catarrho corpus vix extenuatur, et post causas manifestas quibus frigus concipi vulgo dicimus, accedit. Tussis major, oculorum rigiditas quædam, et lenis inflammatio, raucedo, gravedo, naribus coryza et sternutatio, omnia aut desunt omnino, aut multo leviora sunt, in phthisi pulmonali. Progrediente morbo, discrimen indies

evadit manifestius; atque tandem prodeunte pure, signis plerumque satis notabilibus, declaratum. Catarrhus enim mucus tantummodo generat, fluidum colorem, crassitudinemque haud puris absimilem; sed aliis privatis dotibus valde a pure abhorrens. Nam structura fluidorum omnino discrepat: mucus simplex aut fibrosus leviter, in strigmenta facile separabilis est, vix aut ne vix aqua diluendus. Pus autem ex liquore tenui pellucido, cum globulis albidis in eo natantibus constat: atque sub excipulo exhausto antliæ pneumaticæ conclusum, multum acidi carbonici a se evoluit.

Eques EVERARDUS HOME hoc experiundo reperit; necnon globulos puris ipsissima esse magnitudine ac sanguinis per corpus circulantis. Hi globuli aliud pernobile pus inter et mucus præstant discrimen, quod Doctissimo viro THOMÆ YOUNG hoc sæculum inter multa debet. Corpora enim globosa, ut omnibus notum est, lucem inæqualiter repingunt; ideoque radium simplicem in elementarios istos colores prismaticos dictos resolvere solent.

Hinc pus quippe globulis constet inter laminas duas vitreas impositum, lucique ob oculos objec-

tum colores plures ostendit dum mucus nihil ejusmodi efficiens, colorem simplicem nec effectum transmittit. Pus porro friabile, angulosam, aqua haud ægre diffusum, quamvis non solutum.

Dotes Chemicæ, quoque multum differunt. Mucus acido sulphurico solutus, adjecta aqua, enatat; dum pus eadam aquæ copia infusa præcipitatur. Idem evenit si alkali non acidum solvat. Ambiguitas quadam hic nascitur ex aquæ COPIA; nam multum aquæ subito infusæ utrumque dejicit humorem. Mucus oxygenium ab ore absorbet pus nullam hujus aëris affectionem indicat. Odor pessimus ex pure in prunas conjecto, raro ex muco similiter exusto percipitur; sed hoc minime perpetuum est.

Modum quo aliis de morbis supradictis discernatur phthisis, haud referre opus est; atque siquando, ut sæpe fit, conjungantur, diagnosis parum esset utilis.

CURATIO.

IN phthisi pulmonali curatio duas in partes naturaliter se diducit, in eam scilicet quæ secun-

dum morbi tempus aut phthisin confirmatam arcere contendit; atque eam phthiseos cofirmatæ indicia mitigare destinatam; de his ordine dicemus. Ne morbus pulmoni insideat, evitentur singula quæ hunc omnino irritare queant. Horum præcipuum frigus est, quod idcirco cura maxima caveri debet; vestimentis scilicet satis crassis et calidis; quibusque calorem æquabilem conservare natura est. Neque audiendi sunt qui, corporis durandi gratia, vestes leves et frigidulas pueris geri suadent. Sæpe tamen hac temeritate vulnus pectori insanabile infligunt. Dolendum est, vel ætatem adultam præsertim, quod moris sit aliarum fœminarum, sæpe hac causa puellarum pulcherrimas pessundari. Proxima erit cura, ut corporis habitus fiat firmior; cibi igitur boni, bonumque nutrimentum, nec difficile concoctum præbentes, sumendi sunt. Cruditas et sequela ejus alvi adstrictio, non mediocriter strumam exasperant. Condita omnia, duabus de causis inutilia sunt, quoniam et plus propter dulcidinem assumitur; et quod modo par est, tamen ægrius concoquitur. Potui detur vel exiguum vinum satis dilutum, vel cerevisia tenuis, vel aqua ipsa; liquoribus meracioribus diligenter evitatis. Ex-

Exercitatione modica et crebra utendum; atque cum periculum semper oriatur a pulmone nimis agitata, exercitatio ea seligenda est minime ad hoc proclivis. Hinc lenis matutina equitatio nunquam non laudata est. Matutinam diximus, quippe quod aliis dici horis pulsus multum acceleratur, unde nausea febricula aliæque molestiæ equitationem subsequi solent. Ambulatio quoque lenis utilissima fit. Omnium exercitationum sit finis sudor, et si quando hic liberior subortus sit, linteo probe abstergeatur, vestibus exutis, novæ induantur, ne subitum frigus contrahat.

Balneo frigido brevis commoratio multum prodest; productior, imprimis nocet. Venus vix minus noxia. Juvenis se mature somno committat, sero resurgat; vigilando aut lucubrando nihil infestius putet. Si his neglectis, aut parum auxiliatis, morbus in dies nihilonimus gliscat: curatio medica ad molesta sedanda convertitur.

Tussicula cum dolore in pectore, difficili spiritu febriculæ, sanguinis modicam fere missionem indicant: sin vero hac uti tumor sit, emplastrum quodvis exulcerans pectori supra dolorem impositum multum juvare solet: et tempore adhibitum vitam pluries servabit. Verum iis in exemplis

quibus tussicula, sine signis jam dictis manifestatis, latenter obrepserit, sanguis caute admodum detrahendus, ne vires, etiam per se satis cito ruituras, inutiliter prosternas.

Tali rerum conditione, ad regionem calidam migrare oportet: talis enim cœlum minus varium, et pulmoni tacto amicitius, præstare consuevit. Quum vero cœlum nostrum æstivum satis commodum fere his existat, petenda erit regio cui tempestas hyberna, æstivæ nostræ maxime sit similis. Madeira, Maris Mediterranei littora, Azores, hanc laudem auctoribus meruerunt. Quando res migrare non patiuntur, etiam apud Devoniam Angliæ Australis recessum hybernum, satis mitem nonnulli repererunt. Inter hiemem, in Britannia nostra, nunquam phthisicis e domo foras prodeundum est; at si necessitas quædam cogat, quam optime operiendi sunt.

Cibus non nisi lenissimus in phthisi confirmata sumi debet. Lac, quod pariter potui ciboque sit, omnibus aliis cibis præstat. Lac variorum bestiarum collaudatum est, præsertim asininum, et liberaliter sumatur, nisi febricula exaucta, capitis dolores, ventriculi nausea, aut fastidium, vetare usum ejus apparent. Navigatio in hoc tempore

misere decantatum fuit remedium; atque certe, in nonnullis exemplis utilissima fuit, aliis tamen omnia mala vehementer exasperat. Digitalis in hoc morbo multis adhibetur, ut pulsum reducat; ideoque febrem minuat. Eventus varius est, nam proculdubio nonnullis fere deploratis salutem restituit; nec video cur in morbo adeo infelici hoc remedium cum aliis non periculo subjiciatur. Diarrhœa, versus morbi finem nimis urgens, remediis idoneis sedanda est; ut opio, vel astringentibus qualia in ventriculo, ægri facilius retinere possunt. Sudores regimine, rei accommodato, refrigerantibus et acidis compescantur. Ex acidis sulphuricum præ omnibus laudatur, ut in formula infuso rosarum dicta.

Tussim mucilaginosa et oleosa subinde mitigant, necnon sedantia, ut hyoscyamus, opium, conium maculatum. Expectorantia porro, ut scilla, imo emetica, exhibita sunt, sed parum utiliter. Tonica omnia, et fortasse balsamica similem notam merere videntur; sed balsama in nonnullis aliquid utilis certe præstare apparent.

FINIS.